

CHOERILI SAMII PROHOEMIUM.

Choerili Samii prohoemium facundum, quo Persica sua commendauit, editum est inter Aristotelis commentaria ab Hugone Rabe *Anonymi et Stephani in artem rhetorican commentaria* Berolini 1896 p. 328. Quod recte si distinguitur, legitur hoc modo:

Ἄ μάκαρ, δοτις ἔιρ κείνον χρόνον, ἵδρις ἀοιδῆς
Μονσάων θεράπων, δτ' ἀκήρατος ἦν ἔτι λειμών.
νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχοντο δὲ πείρατα τέχναι.
ὅτατοι ὥστε δρόμου καταλείπομεν'. οὐδέ πῃ ἔστι
ἢ πάντη παπταίνοντα γεοξυγές ἄρμα πελάσσων.

Secundo uersu prohoemii Margitae idem hemistichium posuit poeta, quem Homerum fuisse credebant, hoc modo: Ἡλθέ τις εἰς Κολοφῶνα γέρων καὶ θεῖος ἀοιδός, Μονσάων θεράπων καὶ ἐκηβόλον Ἀπόλλωνος (fragm. I Allen). Omne pratum, quod diuisum esse dicitur u. 3, nihil habet commune cum curriculo equorum, quod memoratur u. 4. Quare post τέχναι finalis interpunctio collocanda est nouaque incipit sententia u. 4, qua poeta comparatur cum auriga. Versu 3 δὲ in apodosi positum est, qua de proprietate sermonis exponitur ad A 58 ab interpretibus, pluribus exemplis collectis a grammaticis inde a Baeumleinio in libro de particulis Graecis Stuttg. 1861 p. 92. Quanta uero Atticae terrae gloria emicuit tragicae poeseos unica arte et noua, postquam hoc Choerili subtristi praeconio artes poeticas reliquas misello exitu periisse conclamatum est. Ultima sententia, quae uersibus 4 et 5 continetur, bipartita est. Priore parte: itaque nos, inquit, quod sumus seri et ultimi, curriculo excludimur. Sicuti enim Herodotus IX 96 med. scripsit καταλειμένος τοῦ ἄλλον στρατοῦ neque segregari haec constructio potest a similibus locis VII 168 extr. λειψθῆναι τῆς τανυαχίης, IX 19 init. οὐκ ἐδικαίενν λείπεοθαι τῆς ἔξοδου, item Choerili Samii constructio secerni nequit ab Ionicis Herodoti locutionibus. Posteriore autem parte sententiae queritur sese, quocumque circumspiciat, nullum posse currum inuenire, qui nouis equis sit iunctus: omnes nimirum agere equos uetulos cantherios decrepitos currus obsoletos. Quomodo haec ad argumenta epicae poeseos transferenda sint, non est quod dicam pluribus. Sed ultimum uersum 5 editor passus est eo modo legi in commentarii editione quomodo et in libris traditur et uulgo antea tradebatur: οὐδέ πῃ ἔστι — πάντη παπταίνοντα

νεοζυγὲς ἄρμα πελάσσαι. Qua in sententia Homerica indicatur aperte imitatio. Nam in exitu prioris uersus 4 meminimus legi in uersus exitu Π 110: *οὐδέ πῃ εἶχεν*, χ 140: *οὐδέ πῃ ἄλλῃ* cum eiusdem uocalis in eadem sede uersus detimento, in ultimi uersus initio animaduertemus *πάντοσε παπταίνων* uel *πάντοσε παπταίνοντα* N 649 χ 380 legi cum dactylo molliore et aduerbii forma clariore. Sed ultimum uocabulum *πελάσσαι* quod tolerauit editor, antea merito reiecerat van Herwerden in libro *Lectiones Rheno Traiectinae* inscripto, qui editus est Lugduni B. 1882 p. 8: interpretationi enim sanae repugnat. Idem intellexerat *ἔλασσαι* potius infinitium in hoc conexu sententiae aptissime scribi. Sed quod proposuit pro *νεοζυγὲς ἄρμα πελάσσαι* scribi oportere *νεοζυγές ἄρματ' ἔλασσαι*, id et propter litterarum, quae traditae sunt turbas, et propter pluralem modum, qui offendit, displicet. Immo una addita littera et legi potius oportet hoc modo et scribi potest *ἐκ πλήρους:*

οὐδέ πῃ ἔστι

πάντη παπταίνοντα νεοζυγὲς ἄρμα <ἐ>πελάσσαι.

Vocabatur quidem talis scriptura *ἐκ πλήρους*, ueluti schol. ζ 131: *εἰδός οὐδένειν* [ἐκ πλήρους τὸ εἴδος αἱ Ἀριστάρχον]: similia leguntur schol. A ad A 323 B 347 schol. T ad Π 854, quae collegerat Lehrsius Quaest. ep. p. 49. Atque uerbum, quod legitur simplex E 237: *ἄλλὰ σύ γ' αὐτὸς ἔλαννε τέ' ἄρματα, καὶ τεώ ἵππω*, nihil nisi agitandi significat actionem. Hoc loco uero uerba *πάντη παπταίνοντα* demonstrant, simplex uerbum languere, praepositione opus esse addita. Neque enim currum agere tantummodo debet nouus auriga, sed currum mittere in certamen, addere currum eis curribus, qui iam missi sunt, sed nouis equis iuncti non erant. Verbum compositum habet Ilias H 223: *ἐπὶ δ' ὅδοον ἥλασε χαλκόν* de aere clipeo inmisso, saepius adhibet Xenophon de equite, ecum qui inmisit tanquam currum aduersario, ueluti hipparch. 3, 12: *τὸ δεύτερον θῆττον ἐπελαύνειν . . . τὸ τρίτον . . . τάχιστα ἀλλήλοις ἐπελαύνειν*, de re equestri 8, 11: *ἐπελαύνειν τὸν ἵππον*. Iam Herodotus I 164 init. scripsit: *Ἄρπαγος ὡς ἐπήλασε τὴν στρατιήν*, sed eadem qua Choerilus uerbi utitur forma Apollonius Rhodius II 797: *ἐπελάσσαι ἄρη, Τυνδαοΐδην Βέβρωνξιν*, ubi in codicibus quibusdam uera, quam nos restitui Choerilo voluimus forma corrupta est simili modo, qui exhibent *ἐμπελάσσαι* uel *ἐμπελάσσαι*: quae lectio est in scholiis.

Bonnae.

Fridericus Marx.